

EPISTULA LEONINA

CCXII

HEBDOMADALE
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CCXI** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM DUODECIMAM (212) !

ARGUMENTA

SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM CIRCUMSPICE.....	03
HOFMANNUS LEXICOGRAPHUS POLYMATHESTATOS (<i>Wikipedia/ LL</i>).....	04-06
DE HOFMANNO QUID SCRIPSERIT WOLF LEXICORUM COLLECTOR.....	07-08
DE HOFMANNO QUID SCRIPSERINT EDITORES CAMENAE.....	09-13
LEXICI UNIVERSALIS HOFMANNIANI PRAEFATIO.....	14-18
DE VITA EDUARDI DOUWES DEKKER (<i>Wikipedia/LL</i>).....	19-22

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

Epistulam Leoninam tibi offero ducentesimam undecimam (212). Utinam tibi sit occasiuncula has pagellas Latine scriptas perlustrandi. Sed nunc cena tibi apposita est opipara: tolle lege fruere!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß


Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Lunae furibundo, 24. m.Febr. a.2020**



TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

ECCE SYMBOLUM HERALDICUM MICHIGANIAE UNIUS E CIVITATIBUS AMERICAE UNITIS. *E pluribus unum*: v. EL 211. – Sigillum Michiganiae continet symbolum heraldicum, recessu lucidê-caeruleo. In scuto obscurê-caeruleo appetet sol super lacu et paeninsulâ oriens; vir quidam unam manum sustulit, alterâ tenet sclopetum. Quibus gestibus significantur et pax et facultas hominum iura sua defendendi. Cervus et alces, qui iuxta scutum stant parte sinistrâ dextrâque, sunt symbola Michiganiae, cum *Haliaeetus leucocephalus* sit symbolum Civitatum Americae Unitarum.

ΙΟΗΑΝΝΕΣ ΙΑΚΟΒΟΥΣ ΉΦΜΑΝΝ ΛΕΞΙΟΓΡΑΦΟΣ ΠΟΛΥΜΑΘΕΣΤΑΤΟΣ

»Il est étonnant qu'un seul homme seul ait pu, dans un si court espace de temps, ramasser un recueil si étendu & si diversifié«. Le grand Dictionnaire historique de Moréry, ou mélange curieux de l'histoie sacrée et profane. Bâle 1731

[https://de.wikipedia.org/wiki/Johann_Jakob_Hofmann_\(Theologe\)](https://de.wikipedia.org/wiki/Johann_Jakob_Hofmann_(Theologe))

Iohannes Iacobus Hofmann (theodiscē *Johann Jakob* sive *Iacob*; nomen gentilicium etiam *Hoffmann*) natus est d.11. m.Sept. a.1635 Basileae in urbe Helveticā; mortuus est ibidem d.10. m.Maio a.1706 fuit Helvetius theologus, historicus, lexicographus.

Eiusdem pater fuit Iohannes Iacobus Hofmann maior magister gymnasii. Hofmannius minor disciplinis studuit cognoscendis in universitate Basiliensi, quindecim iam annos natus fuit Magister Artium annoque 1655 examen superavit theologiae. Privatum docuit, usque dum a.1667 in universitate Basiliensi Professor factus est linguae graecae, a.1683 disciplina permutata factus est professor historiae. A.1685 ad theologiae doctoris gradum promotus est.

Eius opus omnium laboriosissimum atque magnificentissimum est *Lexicon Universale*, quod exaravit per complura decennia. Idem est et primum lexicon, quod dictum est universale et unum e lexicon virorum doctorum ultimis, quae scripta sunt Latine. Prima Lexici Hofmanniani editio est retractatio *Dictionarii historici, geographici, poetici* a *Carolo Estienne* compositi et a.1596 Genavae editi. Historia autem opera Hofmannii non multum valuerunt ad auctores posteriores. Tractatus eiusdem theologici sunt minoris momenti.

Opera Hofmanni ipsius

- *Assertiones ... in academia patria graeca vacante cathedra / publicae censurae subiicit Ioh. Iacobus Hofmannus ... d. Martii M DC LXV. respondentis munus subituro ... Ioh. Rodolpho Burcardo.* Basileae: Typis Iohan. Iacobi Deckeri, Academiae Typographi, 1665 (Disputatio phil. Basel, 1665)
- Joh. Conradus Hermannus (Respondens): *Diatribe politica successionis eximia repraesentans.* Basileae, Basel: Bertsche, 1670
- *Lexicon Universale Historico-Geographico-Chronologico-Poetico-Philologicum: Continens Historiam Omnis Aevi, Geographiam omnium Locorum, Genealogiam principum Familiarum, addita ubique Chronologia tum veteri tum recentiore, Mythologiam insuper omnium Fabularum, Discussionem Philologicam illustrium circa haec occurrentium Difficultatum; Aliaque plurima scitu dignissima; Cum Indicibus variis, Rerum imprimis locupletissimo, memorabilia huius Lexici per Locorum Communium titulos Lectori illico spectanda exhibente.* Genevae, Basileae: Widerhold, Bertschius, 1677 (2 Bde.)
 - ... *Continuatio....* Basileae, Basel: Widerhold, Bertsch & Genath, 1683 (3 Bde.)
 - ... *Editio absolutissima, praeter supplementa, & additiones, antea seorsum editas, nunc suis locis ac ordinis insertas* Lugduni Batavorum: Hackius, Bouteesteyn, Vander Aa, Luchtmans, 1698 (4 Bde., [online](#))
- *Meditatio theologica inauguralis passionum animae Christi. ... quam moderatore ... D. D. Petro Werenfelsio, ... pro doctura theologica ... proponit M. Joh. Jacobus Hofmannus.* Basileae: Bertsch, 1685
- *Epitome metrica historiae universalis civilis et sacrae: ab orbe condito usque ad annum praesentem 1686 cum enarratione hist.-chronolog. ... in usum iuventutis.* Basileae: König, 1686
- *Historia paparum seu episcoporum ecclesiae Romanae: a primis eius incunabulis usque ad nostram aetatem brevi metro comprehensa;* Cum enarratione historico-chronologica res sacro-profans totius orbis, pontificio caesareas inprimis, juxta seculorum annorumque seriem, succincte complexâ et ind.

triplici. Basel: Koenig, 1687. - Coloniae Munatianae, 1688 (2 Bde.)

Litterae de Hofmanno eiusque lexico scriptae

- Robert Collison: *Encyclopaedias: their history throughout the ages*. 2. Auflage. Hafner, New York 1964, S. 89.
- Karin Marti-Weissenbach: Hofmann, Johann Jakob. In: Historisches Lexikon der Schweiz.
- Georg Meyer: *Das Konversations-Lexikon, eine Sonderform der Enzyklopädie*. Dissertation, Universität Göttingen, 1966, S. 18.
- Wolfgang Rother: *Die Philosophie an der Universität Basel im 17. Jahrhundert: Quellen und Analyse*. Juris, Zürich 1981 (= Diskussion, Universität Zürich, 1980), S. 217–220.
- Wilhelm Vischer: Hofmann, Johann Jacob. In: Allgemeine Deutsche Biographie (ADB). Band 12, Duncker & Humblot, Leipzig 1880, S. 630.

DE HOFMANNIO QUID SCRIPSERIT

RICHARDUS WOLF LEXICORUM COLLECTOR

<http://www.richardwolf.de/latein/hofmann.htm>

Iohannes Jacobus **Hofmann**, qui natus est d.11. m.Sept. a.1635 Basileae filius magistri scholaris, ibidem disciplinis studuit cognoscendis iam aetate duodecim annorum, a.1650 (i.e. quindecim tantum annos natus!) assecutus est dignitatem doctoris facultatis philosophicae, deinde coepit studere theologiae cognoscendae, et a.1655 examen superavit eiusdem disciplinae. Quia virium corporalium defectu homilias habere non potuit (Zedler), annis sequentibus privatim docuit. A.1667 in Universitate Basiliensi Hofmannius factus est professor linguae Graecae, a.1683 professor historiae. Duobus annis post idem vir promotus est ad doctorem theologiae. D.10. m.Maio Hofmannius Basileae mortuus est. Praeter "Lexicon universale" cum cetera tum historiam mundi generalem composuit necnon historiam paparum.

De moribus Hofmanni Zedler adnota haec quae sequuntur: "Qui dicitur fuisse homo sedulus neque umquam ex urbe Basilea exiisse, pecuniam tam vehementer amavisse, ut copiam eiusdem saepe numeraret, et ab amicis rogatus, curnam hoc toties faceret, summâ cum gravitate respondisse: »*Etiam sonus delectat.*«

Lexicon universale historicο-geographico-chronologico-poeticο-philologicum continens historiam omnis aevi, geographiam omnium locorum, genealogiam principium familiarum... aliaque plurima scitu dignissima cum indicibus variis..

* Basileae a.1677 (bis), 2 tomi, tom. 1: [9] fol., 1064 pp., tom. 2: 600, 120 pp., [18] fol.

Sex annis post editi sunt tres tomi suppletorii:

Lexici universalis historicο-geographico-chronologico-poeticο-philologicι Continuatio praeter addenda comprehendens historiam animalium, plantarum, lapidum, metallorum, elementorum, rerum astricarum

* Basileae a.1683 (bis), 3 tomi in 2, tom. 1: [6] fol., 1063 pp., tom. 2/3: 963, 260 pp.

Imagines affabiliter mihi obtulit Domina *Ines Bellin*, quae est cooperatrix antiquariatus *Petri Kiefer* (www.kiefer.de).

Editio autem proxima, qua nunc lexicon et tomi suppletorii inter se coniuncti sunt, complexa est quattuor tomos:

Lexicon universale historiam sacram et profanum omnis aevi, omniumque Gentium, chronologiam ad haec usque tempore, geographiam et veteris et novi orbis, principum per omnes terras familiarum ab omni memoria repetitam genealogiam, tum mythologiam, ritus, caerimonias, omnemque veterum antiquitatem, ex philologiae fontibus haustam, vivorum, ingenio atque eruditione celebrium enarrationem copiosissimam, praeterea animatum, plantarum, metallorum, lapidum, gemmarum, nomina, naturas, vires, explanans

- Leyden 1698 (Hackius), 4 Bde., Bd. 1 (A-C): [6] Bl., 1072 S., Bd. 2 (D-L): [1] Bl., 900 S., Bd. 3 (M-Q): [1] Bl., 994 S., Bd. 4 (R-Z): [1] Bl., CXXVI, 762, 116 S.

DE HOFMANNO QUID SCRIPSERINT EDITORES CAMENAE

<http://mateo.uni-mannheim.de/camenaref/hofmann.html>



Hofmann, Johann Jacob (1635-1706): Lexicon Universale. Leiden 1698.

Historiam Sacram Et Profanam Omnis aevi, omniumque Gentium; Chronologiam Ad Haec Usque Tempora; Geographiam Et Veteris Et Novi Orbis; Principum Per Omnes Terras Familiarum [...] Genealogiam; Tum Mythologiam, Ritus, Caerimonias, Omnemque Veterum Antiquitatem [...]; Virorum [...] Celebrium Enarrationem [...]; Praeterea Animalium, Plantarum, Metallorum, Lapidum, Gemmarum, Nomina, Naturas, Vires Explanans. - Editio Absolutissima [...] Auctior [...]. - **Leiden:** Jacob. Hackius, Cornel. Bouteesteyn, Petr. Vander Aa, & Jord. Luchtmans, **1698.** 2° - T. 1: Literas A, B, C, continens. [6] Bl., 1072 S.; Kupfertit. - T. 2: Literas D, E, F, G, H, I, K, L, continens. [1] Bl., 900 S. - T. 3: Literas M, N, O, P, Q, continens. [1] Bl., 994 S. - T. 4: Literas R, S, T, V, X, Y, Z, continens. [1] Bl., CXXVI, 743, 116 S.- Satzspiegel 32,1 x 17,3 cm - Signatur: XN 9739

Introductio

Iohannis Iacobi Hofmannii 'Lexicon universale' est lexicon historico-antiquarium humanismi europaei omnium ultimum atque praestantissimum. Quod lexicon usque nunc, quantum scimus, nondum est editione recentiore anastatica publicatum. Hofmannii autem lexicon parum est respectum, quia editum erat tempore, quo in locum litterarum a viris doctis Latine scriptarum magis magisque supponebantur doctae litterae linguis nationalibus scriptae. Nam illo tempore brevibus spatiis interpositis edita sunt lexica historiae, biographiae, genealogiae, geographiae, quae scripta erant a *Ludovico Moréry* (*Grand dictionnaire historique*, 1674 u.ö.), *Petro Bayle* (*Dictionnaire historique et critique*, 1697 et saepius; a *Gottsched* theodiscē tractatum, a.1741-1744), *Iacobi Christophori Iselin* opus (*Neuvermehrtes historisch- und geographisches allgemeines Lexicon*, Basileae a.1726-1727) et denique – apud *Zedlerum* editorem Lipsiensem - illud '*Große vollständige Universal-Lexikon aller Wissenschaften und Künste*' (1731-1754, 68 tomi), quod titulo suo commonet Hofmannii 'Lexici universalis'.

Dieses erschien zuerst 1677 in Genf (gedruckt in Basel) in zwei starken Foliobänden unter dem Titel 'Lexicon Universale Historico-Geographico-Chronologico-Poetico-Philologicum:

Continens Historiam Omnis Aevi, Geographiam omnium Locorum, Genealogiam principum Familiarum, addita ubique Chronologia tum veteri tum

recentiore, Mythologiam insuper omnium Fabularum, Discussionem Philologicam illustrium circa haec occurrentium Difficultatum...'.

Ex indice argumentorum apparet auctor quot et quales res humanisticas tractare cupiverit. Supplemento a.1683 scripto et Genavae Basileaeque divulgato, quod complectitur 3 partes 2 tomis foliorum editas, opus augetur historia naturali (zoologia, botanica, mineralogia, cosmologia) et vitae cottidiana actionibus, moribus, consuetudinibus:

'Lexici Universalis Historico-Geographico-Chronologico-Poetico-Philologici Continuatio: Praeter Addenda comprehendens Historiam Animalium, Plantarum, Lapidum, Metallorum, Elementorum, Rerum Astricarum, praecipue Hominis Negotiorumque eius, in omni Aetate, Sexu, Conditione, Aevo, Recentiori, medio, veteri, ex omnium Gentium, in primis Hebraeae, Graecae, Romanae, Monumentis sacris, civilibus, erutam.'

Dum auctor industrius novam editionem praeparat iterum a Widerholdio faciendam, a Leidensibus editoribus accepit epistulam, qui ei promiserunt se doctê cooperatos et curatos esse. Hofmannius huic oblationi assensus est. A.1693 accepit privilegium, cui inscripta sunt praeter nomen *Iohannis du Vivié* bibliopolae nomina quattuor Leidensium typographorum bene famatorum. Tractatio per magnum spatium temporis facta est. A.1698 demum opus excellenter impressum editum est per quattuor tomos foliorum, quorum quisque complexus est mille circiter paginas.

Quia nondum ulla disquisitio lexici accuratior facta sit, methodus operandi Hofmanniana parum nota est. Id quod iam olim dictum est de lexico Zedleri universal, licet etiam dicere de Lexico universal Hofmanniano:

'Est index generalis omnium ferê librorum' (J. M. Gesner: Primae lineae isagoges in eruditionem universalem. 2¹⁷⁸⁴, No. 634)

Ex magno numero operum doctorum fundamentalium summariorumque argumenta gravissima sunt excerpta certisque sub lemmatibus – nominibus, terminis technicis, nominibus sermonis communis – inter se coniuncta. Hofmannius fontes suos affert eorumque differentias necnon ibi, ubi hoc fieri potest, critice de iis iudicat. Solet quidem

idem lexicographus sermonem fontium retinere, tamen feliciter more humanistarum studet Latinitate uti recta et apta et diserta.

Fontium abundantia et bonitate, subtilitate eosdem tractandi, ubertate testimoniorum necnon argumentorum exhibitione clara atque delectabili Hofmannius (una cum Batavis redactoribus) omnes praecessores sui longe superat. Hoc e.g. appareat, si Hofmannianum lexicum comparamus cum lexico a Carolo Estienne et Nicolao Lloyd et aliis composito, quod e medio saeculo sexto decimo usque ad septimum decimum saeculum exiens compluries tractatum est:

Dictionarium historicum, geographicum, poeticum: gentium, hominum, deorum gentilium, regionum, insularum, locorum ... nomina quo decet ordine, complectens & illustrans. Genf, 1693; 6 Bl., 1059 S. 4°.

Eo quod *Petrus Bayle* coaequalis Hofmannii criticus (*Projet et fragmens d'un dictionnaire critique. Rotterdam, 1692*) singulos locos parum accuratos in *Lexico universo* ingenti inventos acriter castigat, minimē obscuratur opus Hofmannianum summā laude dignum. Quod editores lexici a *Moréry* aliisque compositi (Basileae a.1731) cognoverunt:

'Il est étonnant qu'un seul homme seul ait pu, dans un si court espace de temps, ramasser un recueil si étendu & si diversifié.'

Hodiernus autem lector praecipue vituperabit fontium citationes nimis breves; indicem fontium Hofmannii bibliographicum, ubi primum textus plenus nobis praesto fuerit, afferemus. Cum laetabilis sit mendorum typographicorum raritas, lector caveat errores rerum, qui interdum acciderunt. E.g. in symbola, c.t. ,Melissus, Paulus Schedius', – quae ceterum nonnulla continet scitu digna – annus natalis poetas illustris neolatini (1539) per errorem indicatur annus mortis.

Iohannes Iacobus Hofmann a.1635 Basileae natus dicitur patriam numquam reliquisse. A patre suo magistro scholari praemature eruditus studium suum theologiae iam absolvit anno aetatis vicesimo. Cum esset valetudine nimis imbecilla, non suscepit munus paroeciale, sed privatum docuit, usque dum a.1667 in universitate factus est professor linguae graecae. Ex a.1684 usque ad mortem suam a.1706

factam ibidem docuit historiam. Praeter Lexicon universale nonnullaque opera universitaria scripsit haec:

Poematum Libri III, Seu Proteus Horatianus, Clio Raurica, Et Salomon Emmetros. Basel, 1684. - Epitome metrica historiae universalis civilis & sacrae: ab orbe condito usque ad annum praesentem 1686. Basel, 1686. - Historia Paparum Seu Episcoporum Ecclesiae Romanae: A Primis eius incunabulis usque ad nostram aetatem Brevi Metro comprehensa. Basel, 1687, 2 Bde.

JOH. JACOBI HOFMANNI
D E
LEXICO svo VNIVERSALI,
tum primum edito , tum deinceps ac præcipue nunc,
plurimis Accessionibus aucto,
P R A E F A T I O .

BENEVOLE Lector! talem enim Te sibi præsens hoc Opus jam tum pollicebatur , quum susciperetur: neque vero alio id aggressus sum fine, quam ut Publico , si fieri posset, id inserviret, ac Juventutis Studioſæ ardorem , compendiosiore res præclaras cognoscendi methodo solaretur. Nimirum , ut Te diu non morer, LEXICON VNIVERSALE, succinto scribendi genere comprehendens Historiam omnis ævi , cum Sacram tum Profanam , Gentium omnium ac Personarum , a condito Mundo ad nostra usque tempora , in quacumque gente , dignitate, professione, religione, secta, virtute, Illustrium , non omissis etiam iis , qui extantioribus naevis orbi innotuerunt ; summo cum labore nostro constructum, publicæ quandam luci dederamus. Cum vero id Opus nostrum primum vulgaremus, neutquam ita id venditavimus, quasi nullis postea accessionibus augendum; nullis lacunarum suppletionibus perfectius aliquando reddendum; nullis errorum, si qui irrep̄sissent, restitutionibus limatus denuo procudendum ceneremus. Minime vero. At jam tum provideramus, fore, ut, sicut in omnibus vel minimi negotii rebus fieri amat, multo magis in hoc tam vasti & immensi molimini opere, dies diem esset doctrina. Quare ubi id animo providissim, pollicitus tum quoque Tibi sum, me quanta possem, brevitate lacunas, quæ occurrerent, pro viribus completurum, sicque & Tibi porro litaturum. Hujus datae fidei non immemor, id operam deinceps enixe dedi, ut aliquando me promissorum meorum fide, ac tanti oneris, quod unius hominis humeris longe esse gravius quotidie experiebar, ulteriore cura molestiaque exsolverem. Dum itaque in ea incumbarem, quæ ad scopum facerent, simul alia se se offerebant infinita, quæ, non minus Publico profutura, eadem methodo enarrari, jure quodam suo postulabant; tanto fidentius, quo major utriusque Operis futura erat affinitas; & Prius, quod *Nominum præcipue propriorum* seriem exhibebat, ut Alterum succederet, *Nomina appellativa*, eadem ratione in fronte præferens enixus invitare videbatur. Tum vero ego quoque comperi, sic fieri in rebus humanis, ut *omnia debeat temporis, & aggressos parva, successu operis, maiores spiritus sumere*: ut *Ligus ille Marianus, dum cochleas conjectatur, studio legendi paulatim in summum montem egressus, victoriæ viam Imperatorem docuit.* qua magni Auctoris verba sunt. Nec, quantumvis maxime volbam, tantæ rei cogitationem, importunius meam imbecillitatem indies obtundenter, excutere fui potis; quo minus post varios flexus, ac *ικκλίσεις* frustra tentatas; præsertim postquam animum altiori igne ad id incalefcre sensi, tandem manus darem, & omnibus mentis meæ corporisque viribus in unum contractis, temporis insuper, nimium propere nobis elabentis, voluminibus arte comprehensis, iisque quæ jam evaserant, tantum non e fuga retractis, aggrederer. Itaque post impensos ac exhaustos novos labores, accidit tandem, ut pristino Operi nostro alterum tantum accederet, & ad te, Lector Benevolæ, nostra cura processerit *Continuatio* totidem voluminibus distincta, comprehendens infinitam rerum copiam; quarum quafdam ante obiter, ac velut *ωρομετριῶν* vice adspersas, tum plenius executi fuimus; reliquas de integro elaboratas cuilibet solidæ *πλημαθέας* studioſo spectandas exhibuimus. Verum enim vero ubi favor & studium hominum totam hanc Editionem brevi tempore diripuisset ac quasi devorasset; & Exemplaria ubique desiderari inciperent; animo denique proposui, Vniversum Opus ad verum consummationis fastigium

AVCTORIS PRÆFATIO.

gium perducere, atque eo ipso utilitati Lectorum meorum quantum possem prospicere. Primo itaque novas curas posui in relegendis, reputandisque omnibus iis, quæ jam edita fuerant; ea emendare ac limare juvit; ubi majora & fusiora aliqua argumenta contractius, ut fieri debuerat, enarrata erant, passim nunc addidi Scriptores tum Veteres tum Recentes, ad quos Lectorem, plura de re quapiam & distinctiora scire cupientem, rejicerem: idque, inquam, feci innumeris in locis, quoties necesse erat. At multo majorem & laboriosiorem operam sumpsi, in variis ac infinitis rebus (de quibus in prioribus agere supersederam, quæ tamen ob Operis affinitatem cum maxime requirebantur) nove tractandis, inque loca sua & ordines dixerendi: loquor de ingenti multitudine Cæsarum, Principum, Virorum bello togaque Illustrium, Celebriorum Scriptorum, Theologorum, Juris-Consultorum, Medicorum, Philologorum, Historicorum, Poëtarum, Pictorum, aliorumque Artificum, ad hæc usque tempora; quorum omnium Nomina, Origines, Res gestas, Opera, Artifica, quam diligentissime persecutus sum. Insuper nova etiam plurima ad Historias pertinentia, ex Archivis, Cimeliarchiis, & reconditionibus Monumentis deprompsi, atque ita disposui, ut reliquis facili negotio adtexi & intexi possent. Adeo ut hæc universa, continentि ordine & serie collocata, si consideres & computes, novum plane Opus jure dixeris.

Hocce igitur labores nostros, ultimis curis elaboratos, digestos, & expolitos, Celebri Leidenstium Typographorum Societati, eos typis suis elegantissimis procudendos flagitanti, concessi. Quorum industria, & impensisima opera lubens latusque intelligo esse factum, ut hoc Opus nostrum in oris Batavis nunc lucem adspiciat nitidissima forma vestitum; immensa vitiorum, errorum, sphalmatum, quæ negligentia priorum Typothetarum denso numero invaserant, mole expurgatum; singulis præterea, quæ tum in prima Editione, tum in Continuatione, tum in novissimis Supplementis, divisa fuerant, continuata serie compositis, locoque & ordini suo insertis: allegationibus locorum ex omnis generis Scriptoribus, si quæ male sese haberent, fideliter emendatis ac restitutis; exhibitis ad id Viris solertibus, eruditis, exercitatis. Quo officio Optimi illi Typographi magnam à me, majorem a te, Lector Benevole, non possunt non iniisse gratiam; ut qui sua opera nostris laboribus adjuncta, solidum tibi & perfectissimum lubricationum nostrarum usum præstent. Non omiserunt quoque Viri diligentissimi ea inserere, quæ ad postremorum horum temporum rationem pertinerent; tum rerum memorabilium addere capita, titulos, indices, catalogos.

Cæterum ut Præfationis nostræ filum persequar, ac tecum de ipso Opere loquar; universo Opere, semel atque iterum ad incudem revocato; habes, ut supra tetigimus, quæ circa Historias, Sacram & Profanam; tum Auctores, indolem geniumque Populorum, cum utriusque fortuna celebrioribus momentis; incunabula, vicissitudines Imperiorum, Regionum, Principatum, Rerumpublicarum, Societatum, Monasteriorum, Collegiorum, &c. Res pace belloque gestas; & omnia quæ gentem aliquam dignam reddunt Annalium memoria; inque his, qui præ cæteris caput extuleré, succincta descriptione, Tibi spectandi proponuntur, Viri, Feminæ, regiminis eminentia, factorum gloria, dictorum acumine, scriptorum ~~æ~~ge^{cæ}a, inventorum felicitate, nævorum quoque vel raritate, vel enormitate, aliisque conspicui. Non omisla quoque est illustrium in primis Familiarum, olim hodieque florentium, Genealogia, Progonologia, sive Majorum ab omni memoria repetita series. Diligenzia quoque nostra versata est circa Geographiam, ac descriptiones locorum veteris novique orbis, quorum aliqua ad nos notitia pervenit; Regionum, Urbium, Vicorum, Viarum; singularem quoque Ædificiorum, arte vel usu memorabilium; Regiarum, Templorum, Turrium, Gymnasiorum, Theatrorum, Pyramidum, Aqueductuum, Arcium, Murorum; &c. Montium porro, Collium, Vallium, Specuum, Fodinarum, Sylvarum, Desertorum: Æquorum quinetiam, Fretorum, Fluminum, Lacuum, Torrentium, Paludum, Sinuum, Portuum, Promontoriorum, Insularum, Peninsularum, Scopulorum, Isthmorum, Ventorum, Turbinum, &c. Unde erit facile percipere horum noscenda; Regionum, exempli gratia, dotes, limites, loca ad eam jurisdictionem pertinentia; Ecclesiarum Fundatores, Reditus, Dicæceses: Civitatum Conditores, Privilegia, Insignia: Vicorum, Viarum, Villarum, prærogativas ac fata: Montium tum exteriorum faciem, Arborum, Plantarumque variarum discriminibus visendam; tum internas opes, quibus visceræ eorum turgent, desideria hominum prolicientes: Marium naturam, partes Terræ, quas alluant vel interluunt, ventos quibus obnoxia sunt, usus, pericula: Fluviorum fontes, decursum & ostia, eorumque ut & Fontium, Lacuum, &c. admiranda, hominumque circæ

AVCTORIS PRÆFATIO.

circa hæc omnia conatus. Expositam item invenies Chronogiam, accuratissimamque omnium Temporum rationem. Præterea in unum fasciculum comprehensa exhibentur, quæ pertinent ad Descriptionem Animalium, Avium videlicet, Quadrupedum, Piscium, Amphibiorum, Reptilium, Insectorum, Zoophytorum; Hominis in primis, ac quæ in illo & circa illum, nobis consideranda proponit Sapientissimus Conditor; Armorum porro, Machinarum, Munimentorum, totiusque Rei Militaris; Artium omnis generis, & Artificum, Operumque insigniorum; Exercitationum, Experimentorum; eorum qua inventa sunt necessitati, commoditati, luxui; Colorum; Dogmatum, Factionum, Hæresium, Sectarumque inter Philosophos Christianosque vigentium; Conciliorum, aliorumque Conventuum Ecclesiasticorum, qui in Provinciis Vrbibusque celebrati, cum brevi enumeratione Præfidum, Canonum, &c. Elementorum, & qua in iis; Lapidum, Gemmarum, Margaritarum, Metallorum, Meteororum, Mineralium; Mensurarum, Ponderum: Rei Cibariae, Oeconomicæ; Ministrorum utriusque sexus; Morum ac Confuetudinum; Supellestis, Instrumentorum, Vaforum: Dignitatum, Honorum; Statuum, Conditionum, Titulorum, Nominum, Prænominum, Cognominum, Epithetorum, Officiorum, Ordinum; Ornamentorum & Insignium; Virtutum, Vitiorum: Hortorum, Plantarum, Arborum, scilicet Stirpium, Florum, Fructuum, Aromatum, Herbarum, Fructicum, Radicum: Judiciariæ Rei, Legum, Poenarum, Mulctarum, ac Suppliciorum, Præmiorum: Fabularum, Deorum, Dearum, Heroum, Daemonum, Geniorumque superstitionis Antiquitatis, cum Mythologia, Sapientia ac Religionis arca sub aspero hoc cortice abstrusa, enucleante: quæque in his cunctis difficultatis aliquid habere videantur, Philologiae ope fideliter endantur: Præterea exhibentur descriptiones Idolorum ac Statuarum: Rituum, Ceremoniarum omnigenarum; Sacrorum ac Superstitionum; eorum quæ ad Magiam & Sortes; Festorum, Ludicrorum, Ludorum, Civilium, Publicorum, Privatorum: Rei tandem Agrariae, Rusticæ, Vehiculariæ, Venaticæ, Nauticæ, Civilis, Medicæ, Musicae, Architectoniæ, Africæ, Nummaria, aliarumque; cum verbis formulisque solennibus; omnis avi, citerioris, medii, veteris, ex omnium Gentium, celebriorum in primis, Hebreæ, Græcae, Romanæ, monumentis sacris & civilibus erute. Religio namque nobis fuit quidquam in his, quantumvis infinitis, statuere vel proponere, quod non idonea subnixum esset auctoritate. In testimonium itaque identidem videbis adlocutos Auctores, è quibus hoc Opus collectum; tum præcis, tum recentibus, optimis atque præstantissimis, editis ac ineditis. Nummis quoque, Marmoribus, Inscriptionibus, &c. in consilium adhibitis. Et quidem ea diligentia, ut libros & capita, aliquando etiam paginas, sectiones, paragraphs, notaverimus; quo & de candore nostro ac fide (non enim unquam sine Teste loquimur) certus esse possis, & si prolubrium subeat, prolixior rerum, quas per fastigia tantum saepissime tradere coacti fuimus, cognitio ex ipsis fontibus hauriri queat. Nec dum cessatum, sed præterea habes Catalogos, operi passim suis locis insertos, Provinciarum, Vrbium, Castrorum, Arcium, Castellorum, aliorumque locorum; Æquorum, Montium, Lacuum, Paludum, &c. Personarum item ac Rerum aliarum memorabilium; Verbi causa, Delphinorum, Constabulariorum, Marescallorum Galliæ: Admirallorum, seu Thalassiarum, ac Justitiariorum Magnorum Angliæ; Torneamentorum in Imperio Romano celebratorum; Epithetorum, quibus Dii apud Gentiles insigniti: Auctorum in primis ac Commentatorum, in quemque S. Scripturæ librorum extantium, &c. Subnxi sunt in fine indices varii, quo corum beneficio Liber tibi fructuosior redderetur: Nomenclator nempe Μεγάλων Ονομάτων, locorum præcipue, deinde personarum, subinde officiorum ac rerum in quacunque lingua, celebrioribus in primis Europæ linguis, nomina in fronte exhibens. Index post hunc rerum locupletissimus, qui res in hoc Lexico memorables, quæ in serie Operis non apparent, vel quarum auctores saltē in apice occurunt, per locorum communium titulos curioso Lectori citra prolixas ambages, ob oculos ponat, sive in eodem Polyanthem insuper vel Polymnemona tibi offerat: quæque tandem alia in usum tuum, cui unicæ, post Dei gloriam, industria nostra velificata est, esse videbantur. Quo facilius veniam spero, si forte, quod rerum humanarum, meæ præsertim imbecillitatis, fatum est, hic, ibi impegero. De ordine, quo Viri Illustres Familiaeque collocatae, neminem spero litem moturum; ut ut enim annis sim, hic eum observare, quem illis convenire credidi, fieri tamen haud quaquam potuit, ut non sæpe lucubranti se se nullo ordine ingesserint; ubi malui illos etiam non suo loco admittere, quam morosa sollicitudine plane omittere & negligere. Quare te, Lector Benevolæ (ad quem ut non pœnitendi impensæ lectionis redeant fructus, Deum veneror, qui, pro im-
mensa

AVCTORIS PRÆFATIO.

mensa sua benignitate , miseros nos , quod Apostolus ait , ἐρδυαμῶσαι τὸν ἀθερίας , inter amoris sui arcana haber ; ut sic commodum quidem ad nos , salusque ; ad se vero gratiarum actio & gloria omnis , nullo fine terminanda , redundant) etiam atque etiam rogatum volo , ut si quid in tantæ molis Opere , quidquam rerum eo pertinens , vel omissum penitus ; aut mancum mutilumve ; aut etiam minus ex vero relatum ; vel Personarum Rerumque dignitati non fatis conveniens , deprehenderis , pro humilitate tua , non veniam solum dare , sed & monere , mecumque necessarias communicare notitias , haud graveris , idque quanto possum opere rogo , ingentis id & nunquam obliterandi benefici loco habiturus .

*A Veritatis deviare tramite
Proclive nobis : ille laudes & decus
Non paenitendum jure vindicat suo,
Qui, qua meandum prævius monstrat viam,
Facemque præfert : Huic secundus ambulat,
Quisquis monenti rectiora obtemperat,
Sequiturque presso moriger vestigio,
Ad alta Veri subvehentem limina.*

V A L E.

A prima

PRAEFATIONEM

LEXICI UNIVERSALIS

A IOHANNE IACOBO HOFMANN

COMPOSITI

PUBLICAVIT

LEO LATINUS

**DE VITA EDUARDI DOUWES DEKKER
BATAVI AUCTORIS QUI LATINUM NOMEN
SIBI IMPOSUIT Q.E. MULTATULI**



Eduard Douwes Dekker (qui natus est d.2. m.Mart. a.1820 Amstelodami, mortuus d.19. m.Febr. a.1887 Ingelheimia in oppido ad Rhenum sito, fuit auctor Batavus. Idem vir innotuit Latino nomine ficto, quod est „*Multatuli*“.

Circa annum 1900 eius libri in Germania passim legebantur, sed interim magnam partem ceciderunt in oblivionem. E contrario in Batavia opus *Multatulianum* (sit venia verbo) refertur in numerum librorum scholarium canonicum. A.2002 societas scientiae litteraturae batavica *Multatulii* (isti quoque formae verbi sit venia) fabulam, quae inscribitur *Max Havelaar*, declaravit esse opus omnium lingua batavica scriptorum praestantissimum, quod esset primum canonis.

Eduardus Douwes Dekker a.1820 Amstelodami in urbe natus est filius nauarchi. Postquam successu parum felici scholam Latinitatis frequentavit, tirocinio textilia vendendi absoluto una cum patre itinera fecit marina mercatoria. Eduardus 18 annos natus cum patre in Iavam

partem Indiae Batavicae coloniae venerat, ubi suscepit munus administrationis colonialis. Idem iuvenis a.1846 in matrimonium duxit baronissam ad paupertatem redactam, cui nomen fuit *Everdina Huberta van Wijnbergen (Tine)*, et quacum genuit binos liberos, Eduardum filium (*Edu*, qui natus est a.1854), et Eleonoram (*Nonni*) filiam (quae nata est a.1857), et vitam egit communem nunc in Europâ nunc in Asiâ austro-orientali versans. Ex a.1866 familia eum non iam vidiit. Everdina d.13. m.Sept. a.1874 mortua est Venetiis.



Cum Eduardus in Iava vitam degeret, scribere coepit symbolas ephemericum contra scandala administrationis colonialis batavicae contraque abusum systematis colonialis, quae parum legebantur. Satirica demum fabula novella scripta Eduardo feliciter successit, quae inscribitur *Max Havelaar sive subhastationes coffeeae Batavicae Societatis Mercatoriae*, quam nomine ficto, quod fuit *Multatuli*, publicavit. Hic liber innotuit etiam procul Bataviae regionibus. Inter lectores eiusdem operis fuerunt *Sigmundus Freud*, *Hermannus Hesse*, *Thomas et Henricus Mann*. Cursus honorum quem fecerat officialis colonialis (a.1856 in Iavâ factus erat assistens residens regionis Lebacensis) abruptê finitus est, cum publicê vituperaret corruptionem, cuius particeps erat vir regens Lebaci, cui nomen fuit *Karta Nata Negara*. Cum petitione Negarae Eduardus dimissus in Europam revertit.

Cum Multatulius in Europa versaretur, variae mulieres ad vitam eius valuerunt: inter quas cum aliae tum fuerunt neptis eius Francogalla in lupanari redempta, filia parochi refragans necnon auctrix Batava

nomine *Marie Anderson*. actrix theatrica, cui nomen fuit *Mina Kruseman*, a.1875 curavit, ut drama Multatulii, c.t. „*Schola principalis*“, bono cum successu in scaenâ ageretur.



Viginti annis vitae suae ultimis Multatulius ferê semper vixit in Germaniâ. Ab a.1870 usque ad a.1879 idem auctor habitavit Visbadae. Hac in urbe binas partes quintas scripsit operum, quae edita sunt eodem ipso vivente, quibus interest opus, quod inscribitur *Studio milionum*; eodem in libro tractavit res quas ipse expertus erat in aleatorio, necnon methodum rotâ fortunae (*Roulette*) ludendi, quae sibi videretur esse certê lucrosa.

Auctor nomine Multatuli usus publicavit libros, quibus criticê scribebat de ratione colonialismi, sed etiam partim more sarcasmi parabolis usus de auctoritate et religione et ecclesiâ. Eduardus solebat libros suos publicare nomine ficto tectus, quia propter rationem suam colonialismum describendi criticam timuit, ne a potentibus supprimeretur. Fabula Multatuliana omnium notissima est illa romanica, c.t. est *Max Havelaar*, quam supra iam commemoravimus. A.1881 Eduardus êmit villam ad viam sitam, qua coniuncta sunt *Moguntiacum* atque *Ingelhemia*, quam cum altera sua uxore viginti annis minore nata fuit inhabitaturus, cui nomen fuit *Maria Hamminck*.

Schepel (1839–1930), quam a.1862 cognoverat, et cum filio suo adoptato *Wouter* (*Eduard (Wouter) Bernhold*; 1876–1945). Asthmate affectus ultimis vitae annis vixit a publicis rebus seclusus. Eduardus Dekker alias Multatuli unus fuit e prioribus Batavis, qui curarent, ut corpora sua si mortua essent, comburerentur. Hoc in illo tempore nullo loco Germaniae fieri potuit nisi in crematorio Gothaensi.



SYMBOLAM WIKIPEDIANAM QUO REFERTUR

**DE VITA EDUARDI DOUWES DEKKER
BATAVI AUCTORIS QUI LATINUM NOMEN
SIBI IMPOSUIT Q.E. MULTATULI**

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuē disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandas.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR .	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM DUODECIMAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT



Die Lunae furibundo

24. m. Febr. a. 2020

Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae

